



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 116. Papa turbatus Legatos ad Regem mittit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV. quæ, ut deprædationis injuriam redime-
 A.C. 1494. ret, cum Gallis paciscebatur; eadem
 quoque ratione Ursini Gallorum furorem
 declinabant, quamvis Virginius horum
 Princeps arctioribus longe vinculis Nea-
 politano Regi addictus esset, quam ut
 ad primos hostium occursus ejusdem stu-
 dia defereret; ipse enim regius erat Con-
 nestabilis, & Jordanus ab Ursinis ejus
 filius natu major primogenitæ hujus Re-
 gis nothæ filiæ connubiali societate jun-
 gebatur: Verum Galliarum Regem for-
 tuna ubique prospera presso pede sequi
 videbatur; quippe Virginius Ursinus Re-
 gis arbitrio suas urbes, atque in fidei
 pignus suos quoque Filios obtulit, quos
 Rex Christianissimus læto, lubentique ani-
 mo recepit.

§. CXVI.

*Papa turbatus Legatos ad Regem
 mittit.*

*Surita tom. 5. l. 1. c. 34.
 & 36.* Hæc Virginii Ursini defectio, ac pro-
 ximus Gallici exercitus adventus
 Alexandrum Papam ingenti timore per-
 cellebant, dubiumque, quid factu opus
 esset, reddebant. Evidem Calabriæ Du-
 cem ad Urbis defensionem advocate me-
 ditabatur: ast obstabat amicorum fre-
 quentia, quos Columnenses, atque Ur-
 sini in Urbe numerabant; terrebat etiam
 metus de penuria annonæ, cum agro-
 rum

rum sterilitas fruges denegaret, ac Ostiæ Sæcul. XV.
præsidiarii commeatum mari advehî pro-
hiberent. Jam ipsus Gallis occurrere de-
cernebat, pacem rogaturus: ast integritas
suae fiducia haud tanta erat, ut sibi
policeri posset, quod ejus præsentia Gal-
lis reverentiam inspiratura esset: in his
fluctuantis animi angustiis prehensus,
tandem Oratores ad Regem decernendi
consilium cepit, ad quod negotium Con-
cordiensem & Tranensem Episcopos se-
legit unacum Gratiano, qui Pontifici a
confessionibus erat; hi ergo unacum Re-
ge de concordiae legibus paciscerentur,
eidemque promitterent, quod deinceps
Neapolis regnum beneficiario jure obstri-
ctum foret Regi, æque ac Sedi Apostoli-
cæ, hancque in rem Papa quoque no-
vam eidem investituram concessurus es-
set. Ad hæc Carolus Papæ Legatis Guicc. hist.
respondit: si Sanctitas sua pro se sola con- Ital. l. I.
cordiam petit, votis ejus plene satis- Comm. l. 7.
faciam huncque in finem meos Oratores c. 10. p. 47.
ablegabo. Nec verbis sua deerat fides; Gannay.
quippe Trimolium, Gannatensem Præ-
sidem, & Bidaltum, ut eum Commi-
næus appellabat, belli Præfectum ad
Papam decrevit. Verum illis Romam
vix ingressis, Pontifex noctis beneficio
usus, Calabriæ Ducem in urbem rece-
pit, & Galliæ Oratores juxta Guicciar-
dinum, vel juxta Comminæum, quos-
dam

Q q 5 dam

Sæcul. XV. dam eorum famulos comprehendendi, ac in
 A.C. 1494. arcem S. Angeli includi jussit, unacum
 Prospero Columna, & Ascanio Sforzia
Burchard.
lib. 3. p. 246.
 Cardinale, qui tum fidei sibi ab Alexandro
 datæ confisi, Romæ morabantur:
 hi tamen haud diu in captivitate detenti
 erant; Pontifex enim sedato primo iræ
 impetu, quo ad violandam datæ securi-
 tatis fidem impellebatur, æquiora, ma-
 gisque a proprio commodo aliena cepit
 consilia, omnesque captivos paucis post
 diebus pristinæ libertati restituit, deten-
 tionis caussam allegans, quod nuncium
 accepisset, hos nuper inclusos Romam
 eo consilio petiisse, ut populum ad sedi-
 tionem concitarent.

§. CXVII.
*Minæ Regis de convocanda Synodo
 adversus Papam.*

Nihilominus Carolus Rex tertiam exer-
 citus sui partem Romanæ Urbi ad-
 movit; cum vero Papa hoc Gallorum
 molimine haud quaquam terreretur, Ca-
 rolus Cardinalem S. Petri ad vincula,
 Sfortiam, Columnam, & Sabellium, ad
 Alexandrum decernit, dato negotio, ut
 Pontifici significant, quod Carolus
 utpote Regis Christianissimi prærogativa
 suffultus, mox Synodus convoca-
 turus esset, ut in ea discuteretur, qui-
 bus